

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, Veram
De Angelis Doctrinam a falsa & superstitiosa distinguendam commendat,
insimulq[ue] Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos De Componenda Ad
Sanctitatem Bonorum Angelorum Vita Humana ea nunc etiam, qua par est,
pietate admonet [P. P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso die Michaelis Anno Christi
MDCLXXXIX.]**

Rostochii: Wepplingius, [1689]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742498093>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1689. Mich.

A-1256. 57.

Mach. 1689.

PROGRAMMA
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
**JOHANNES FE.
STINGIUS,**
VERAM
De
ANGELIS
DOCTRINAM



â falsa & superstitiosa distinguen-
dam commendat, insimulq;

Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos

De
COMPONENDA AD
SANCTITATEM BONORUM ANGELORUM
VITA HUMANA

*et nunc etiam, quâ par est, pietate
admonet.*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS WEPPLINGII,
Acad, Typogr.

M. 1256 57

I. N. J.



Uo sunt flagella Saranæ, quibus genitū
humanum miserè fatigat, *Incredulitas &*
Supersticio. Adeò in divinis rebus homi-
num occœcat animos, ut credere nesci-
ant quod tantopere inculcatum est, &
exemplorum sæpius fides in dubium vo-
canda sit. Sed siquidem aperta verbi di-
vini autoritas obstet, non aliud supereft aptius corrupto-
ri remedium quām *supersticio*, quā optimum quodq; in de-
terius convertitur, & dum poterat prostertere malos
Spiritus, his illo in veneno inter miseros mortales vis
ineft, Eheu! speculemur sçelestas damnati malorum prin-
cipis artes, quibus veram divinitatis, fidei, atq; nostræ sa-
lutis, & auxilii vel ignorantiam vel dubium ingens pro-
movere, maximèq; arma sibi noxia extorquere generi hu-
mano tantis viribus nifus est, & conatur indies. Certè quis
non admiratur tot hominum cœcitatem qui increduli ve-
ram fidem nesciunt vel negligunt, imò contra ipsam veri-
tatem abnegant. Ea hodie proh dolor! nostra etiam sunt
tempora, ut in barbariem ruant omnia, & impietatis
quærantur encomia. Adeò enim magis apti vitæ politicæ
censi volunt plurimi quo magis sunt athei. Sed hactenus
hostis generis humani malorum tantummodò hominum
malitiis utitur, dum contra veritatē & gentium consensum
molitur; quare nec dominatur nisi in eorum animis qui
mali: prorsusq; liberantur, facileq; inde recedunt qui bo-
nitatis studiosi sunt. Hinc aliâ ratione fortis insurgit Cor-
ruptor recti, illudit bonitatis prætextu, & quæ latere ac ne-
gari non poterant superstitione involvit. Ea imprimis ra-
tione Majestati divinæ detrahere conatur turpissimus Spi-
ritus quod Dei solius est: nec minus impiissimus in eo quod
sanctus nullus accipit, dum nemo accipit, sibi holocau-
stum oblatum offerentiumq; superstitioni notam cœli-
tus

tus inustam esse gaudet maximo pere. Evidem hoc ipso die, quo festum S. Michaelis solenne celebratur, haec meditatio non immerito nobis orta est, postquam sicut oblivionem divinæ existentiæ ac præsentia quorundam hominum animis instillavit malignus Spiritus, ita facilius ministrorum Dei sanctorum Angelorum memoriam alicubi delevit, vel absurdis quibusdam opinionibus ac superstitionis adorationum ritibus implicuit. Sunt inter homines eosq; Christianos, qui spectra rident, obsessiones satanicas corporales ad morbos naturales referunt, magicas artes ex pacto cum diabolo, indeq; delictum, quod igne punendum sit in dubium vocant, somnia cuncta & imaginacionem quandam melancholicam putant, & demum, quod consequens est, diabolos esse vix fibi persuasuri sunt. Horum dubitationi providè princeps tenebrarum prospicit; dumque sibi salutare videtur delitescere, suas ipse apparitiones callide absconditus contra scripturæ sacræ autoritatem iis studiosissimè de existentiâ bonorum simul ac malorum Angelorum ferululos injicit, qui à malis imminere hominibus pericula pernegant. Habuit paucos tenebriones sectatores auctor pessimus; quos inter Angelos & Spiritus esse negarunt Saducæi Act. 23, quod quidem ex eo fonte videtur promanasse cum corpora & animas simul post mortem interire, pios bonorum operum nullam retributionem, scelestos & pessimos homines nullas poenas accipere quam in hac vita: nullum esse infernum: nullum cœlum, in quo æterna sit futura vita: Honestè vivendum & sacrificia præstanta esse tantum propter hanc momentaneam & caducam vitam, teretim doctrinâ docti sint vid. Cent. Magd. 1. lib. 1. c. 1. p. 232. 14. Sed licet eò erroris lubentissimè seduxisset Satanæ, quo Sanctorum ignorantur Angelorum officia, quorum usus & doctrina nobis perquam salutaris est; tamen propter tot & tanta sacræ scripturæ testimonia, propter certissima tot exempla

exempla, sanctorum Angelorum haud latuit existentia; imò nec absconditam suam per superbiam & malitiæ pruriginem diabolus ipse passus est. Ergo aliâ viâ scelera aggredienda erant, ubi supplavit sibi inter Gentiles opiniones proficientes cultusq; divinos sumvit, interq; veritatis auditores superstitione invectâ grassatus est. Sanè inter gentiles notissima doctrina fuit de Geniis, quorum singulorum in tutela non singuli tantum homines crediti sunt; sed & regionibus, regnis, ac urbibus speciales suos attribuerunt Genios, qui gerundis omnibus præfessent, unde hic pariter, & ap. homines *Preſites* vocabantur. Tali Genio sacrificia non minùs quàm aliis diis oblata; & illi, qui *Populi Romani* dicebatur, in urbe votum structumq; templum erat. vid. *Dempster in Rosin. Antiq. Rom. c. 14. Natal. Com. Mythol. lib. 4. cap. 3. Anton. Thys. ad A. Gell. lib. 10. cap. 14. Freinsh. Comment. in Curti. lib. 3. e. 8. n. 22.* Socratis Genium descripsérunt nobis Plato, Plutarchus, Apuleius; cuius ad nutum ille & arbitrium vel declinabat negotia vel petebat. Scilicet etiamsi per geniū Socratis non intelligamus (sicut aliqui intellexerunt) sternutationem cum ipsius tum aliorum, ut siquidem se ad aliquid agendum accingeret, si aliis tum forte sternutasset à dextra, sive ante sive post ipsum, indicium id fuerit, ut in actu pergeret; sin vero alæva sternutatio fieret, tum eo monitum, ut à cœpto desisteret: imò licet dicendum non sit, quod merum figmentum fuerit; idq; ve vel ab ipso Socrate profectum, ut tanto magis in sui admirationem homines raperet, vel ab ejus amicis & fautoribus, quibus primò id ipse forte perluaserat, in vulgus sparsum. *vrd. Ouzel. in Minuc. Felic. Octab. p. m. 243. seq.* attamen omnino animadvertisendum est, cum Deus custodes bonos Angelos humano generi miserit, ipsos malos dæmones, ne inferiores viderentur, cum sint proditores hominum, custodes tamen se videri voluisse, ut ipsi colerentur & Deus non coleretur. *Elmenborst. d. loc. in Minuc. Felic. Octab.* Adeò bonarum

bonarum actionum mendaciis homines corrupti Satanás, ne amplius genuinam scrutarentur viam, sed solitatis consili motionibus dejicerentur à rectitudine. Benè Lactantius, *diabolus*, inquit lib. 3. cap. 29. *infidiatur universis: sed eos qui nesciunt Deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad divini nominis pervenire noticiam, in quo uno & sapientia continetur & vita perpetua: Eos autem qui Deum sciunt dolis & astutia aggreditur.* Verum enimvero nunc pauca de *superstitione* dicenda erunt, quæ circa religiosum cultum Angelis deferendum ab antiquis inde temporib⁹ animadversa sunt. Sic Judæos Angelolatras (vid. Christoph. Justellin. *ad Cod. can. univers. Eccles. in Bibliotb. Jur. Can. veter. p. 88. b. Bevereg. in Annot. in canones Concil. Laod. c. 35. ex Josepbo de bell. jud. lib. 2. c. 7. add. Hieronym. epist. ad Algas. qu. 10.*) Christiani secuti sunt, in tantum, ut demum Patres in Synodo Laodicena c. 35. Idololatriam notare coacti sint in iis qui Angelos invocant. Quod non oportet, dicitur, *Cristianos Ecclesiam Dei relinquere & angelos nominare & congregations facere, quod est prohibitum. Si quis igitur inventus fuerit huic occulta idololatriæ serviens, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei & ad idololatriam accessit.* Evidem speciosa sunt verba Ambrosii libr. de vi- duistom. 4. Rogaverunt, inquit, pro vidua Petrus & Andreas Luc. 4. Utinam existat aliquis qui tam citè possit rogare pronobis &c. Videlicet enim quod magno peccato obnoxia minus idonea sit quæ pro se preceatur vel certè quæ pro se impetraret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Agri enim, nisi ad eos aliorum precibus fuerit invitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens agra est & peccatorum vinculis impedita ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pronobis, qui nobis ad praesidium dati sunt. Apud Ethnico Plato, Angelos ceteroquin nullibi nominans, dum officia Angelorum narrat, eo modo narrat, quod superishominum acta tanquam ministri deferant. Theodor. Orat. 4. de


materiâ & mundo. Elmenhorst. in Minuc. Felic. Octab. p. m. 247.
Sed Christianorum melior debuerat esse sententia, qui hæc
universa Dei præsentia ac gratia compleri satis edocti sunt.
quoniam hic est qui major omnibus Angelis, summus Pon-
tifex, vivum verbum & Deus, per quem omnia vota, omnes
interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones de-
stinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum. Orig.
contra Celsum lib. 8. Unde Irenæus lib. 2. cap. 58. Ecclesia, in-
quit per universum mundum diversa beneficia à Deo accipiens,
in nomine Christi perficit, non invocationibus Angelicis faciens
aliquid, sed mundè, pure & manifestè orationes dirigens ad Do-
minum qui omnia fecit & nomen Domini nostri Jesu Christi. Nec
obscure humilitatis rationem rejicit Apostolus ad Coloss.
cap. 2. 18. Nemo vos seducat volens in humiliare & cultu Angeloi-
rum, in ea quæ non vidit, pedem inferre. Ad quæ verba
referendum est quod habetur in Aristeni & Codicis Amer-
bachiani scholiis ad d. c. 35. Concil. Laodic.: ubi: Non
nulli enim dicebant, non oportet nos dicere, nos doctos esse, ut ad
Deum & Patrem per Christum adducamur. Major enim in-
quiunt, est Christus quam quales nos sumus; sed per Angelos.
Hoc autem denegatio erat divinae Oeconomie sub specie humilitatis.
Ceterum Cives Academiæ optimi! in his distinguere ve-
ram de Angelis doctrinam à falsa mixta ex re visum fuit, hoc
imprimis die, quo celebratur Festum, cuius initium non sine
superstitione fuit, vid. Cent. Magdeb. cent. 8. cap. 4. p. 301. 49.
ibid. cap. 10. p. 771. 10. & p. 873. quod malum incredulitati proximū
pariterque magis aliquando noxiū est. Si respicimus ad
ceteros errores & absurdā dogmata, quibus laborarunt
Christianorum tempora, non in merito Gnostici aliqui reprehendi
erunt, qua ratione (sicut verba sunt Centuriatorū
Magdeburgensium ex Philastro, Theodoreto, Epiphanio,)
bominem Saturninus dixit ab Angelis esse formatum, bac quidem
occasione; quod Dei apparentis ac vicissim disparentis jucunditate
& desiderio capti Angeli, bominem communī consilio ad imagi-
nem

nem Dei condere conati sint, atq; sic inter se dixerint: Faciamus
hominem ad imaginem & similitudinem dei. Ita igitur imper-
fectum, nec erectum sed humili prostratum & sine anima boni-
nem factum esse. cui misertus Deus indiderit ei scintillam sue vir-
tutis ac vivificari, ita ut qui prius instar vermis humili sese volu-
taret, erectus postea incedere posset. Cent. 2. c. 5. p. m. 76. Nec
minus ibidem Valentiniani, dum nihil aliud quam turpia &
libidinosa meditati fuerint, eò usq; insaniæ processisse di-
cuntur, ut etiam Salvatori & Angelis sponsas tribuerint.
Cent. 2. cap. 5. p. 88. 46. Sed sicuti detestandas saepe de in-
nocentibus Christianis opiniones confirmarunt Menander,
Carpocrates, & Gnostici, à quorum hæresi etiam prodi-
erunt Saturninus & Valentinus. vid. Elmenhorst in Minuc.
Felic. Octav. p. m. 87. juncē, Cent. Magd. 2. cap. 5. d. hæres. sub
Adr. & Antoninis. p. 76. 88. ita illorum satis inanis, & ridicu-
la Valentinianorū doctrina videtur; qvanqvam alii Cabba-
listicas interpretationes Valentinianis largiri velint; nimirū,
cū ipsi ex Irenæo indicent Centuriatores, causam impellen-
tem, qvamobrem in hæresin Gnostici & Valentiniani seces-
serint, persuationem nimiæ scientiæ & curiositatem fui-
se, qvâ sub occasione agnitionis ostendere conati
sint altius & majus qvoddam, cum Deum, quicclum
& terram fecisset: hoc est, Philosophicas & ethnicas o-
piniones miscuerint & religioni Christianæ attemperare stu-
duerint. Tandem autem quid omnes hæreticorum nu-
gas recensere opus est? quos inter Angelos mundum fe-
cisse & legem ac prophetias dedisse finxit Cerinthus; tum
verò qvid juvat disputare, qvando Angeli creatisint & nisi
Deo coævos & ab æterno fuisse somniare velint; &c.
Nostrum non est ad subtilitatē usq; indagasse Theologicas
quæstiones, sed ad animarū salutem; tum verò undecunq;
non nisi vitæ recte instituendæ fideiq; veræ contra perditio-
nis periculum ratio nobis habenda est. Nec fallere vi-
detur Medici religio, dum ait: In Theologia pariter ac philo-
sophia

*sophia non parvus est controversiarum numerus, quas nonnulli
iungunt summâ eruditionis opinione viri & proponere & ventilare
solent; in quas ne horas quidem vacuas, nedum seria nostra
studia impendenda censeo. Ea propter O cives Christiani!
quia Vobis scrupulus restare non poterit de existentiâ Angelorum,
qui veritatis estis consciî; tumquia reatus superstitionis durus est:
hoc ipso die, ubi laudes Angelorum prædicantur, nolite ab extremo uno ad alterum profilire h. e:
memoriam Angelorum negligere, cum superstitione age-
re ab ætate ineunte dedidiceritis. Sunt custodes nostræ
salutis, quibus gratia debetur; imò sunt laudatores bene-
ficiorum summi Numinis, pleniq; charitate, quos pietate
nobis devincimus, quorumq; in sanctitate imitationem
vitæ instituimus optimam. Mementote quod Hilarius dixit
super psalmum 135. *Hi spiritus ad salutem humani generis
missi sunt. Neque enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam
angelis, tot, tantisq; Spirituum cœlestium nequitis obfisteret:
opus ad ita fuit naturæ & potioris auxilio &c.* Ergo optimis moribus invitandi nec vitæ turpitudine aut peccatis fugandi
erunt purissimi Spiritus. quâ ratione altâ mente impressum
habebimus illud Basilii, qui in Psalm 33. ita: *Omnis in Christum credenti Angelus assistit, nisi nos illum ob nostra peccata abs-
terreamus. Fumus apes fugat, & factor columbas expellit: Sic an-
gelum vite nostræ custodem, lacrymosum ac grave olens pecca-
tum. Si enim in animâ tua ea que sunt digna angelica
custodia habueris, & mens dives veritatis contemplatione, pro-
pter opera præclara, que secundum veritatem egeris, tibi ad-
suerit, procul necessariò custodes & præsidia constituet tibi Deus,
teq; angelorum munitione circumvallabit.* P. P. Sub
Sigillo Rectoratus, ipso die Michaëlis Anno
Christi M DC LXXXIX.*

Supple-

nem Dei condere conati sunt, atq; sic inter se dixerint
 hominem ad imaginem & similitudinem der. Ita ig-
 featum, nec erectum sed humili prostratum & sine an-
 nem factum esse. cui misertus Deus indiderit ei scintill-
 atutis ac vivificarit, ita ut qui prius instar vermis hum-
 taret, erectus postea incedere posset. Cent. 2. c. 5. p. m
 minus ibidem Valentiniani, dum nihil aliud quam
 libidinosa meditati fuerint, eò usq; insaniæ pro-
 cuntur, ut etiam Salvatori & Angelis sponsas
 Cent. 2. cap. 5. p. 88. 46. Sed sicuti detestandas
 inocentibus Christianis opiniones confirmarunt
 Carpocrates, & Gnostici, à quorum hæresi eti-
 erunt Saturninus & Valentinus. vid. Elmenborf
 Felic. OEtav. p. m. 87. juncū, Cent. Magd. 2. cap. 5. d
 Adr. & Antoninis. p. 76. 88. ita illorum satis inanis
 la Valentinianoru doctrina videtur; qvanqvam
 listicas interpretationes Valentinianis largiri veli-
 cū ipsi ex Irenæo indicent Centuriatores, causan-
 tem, qvam obrem in hæresin Gnostici & Valentini
 serint, persvasionem nimiæ scientiæ & curiosi-
 se, qvâ sub occasione agnitionis ostend-
 sint altius & majus qvoddam, cum Deum,
 & terram fecisset: hoc est, Philosophicas &
 opiniones miscuerint & religioni Christianæ attem-
 duerint. Tandem autem quid omnes hæreti-
 gas recensere opus est? quos inter Angelos m-
 cisse & legem ac prophetias dedisse finxit Cerin
 verò qvid juvat disputare, qvando Angeli crea-
 Deo coævos & ab æterno fuisse somniare ve-
 Nostrum non est ad subtilitatē usq; indagasse T
 quæstiones, sed ad animarū salutem; tum verò
 non nisi vitæ recte instituendæ fideiq; verae contri-
 nis periculum ratio nobis habenda est. Neo
 detur Medici religio, dum ait: In Theologia par-



the scale towards document